

ac eos verbis, et operibus pro Regis eterni gloria venerari Serenitatem Regiam rogamus, et hortamur attente, quatenus eundem Electum, et prefatam Scarensem Ecclesiam sue cure commissam habens pro apostolice Sedis et nostra reuerentia propensius commendatos ipsos benigni fauoris auxilio prosequare: ita quod idem Electus celsitudinis tue fultus auxilio in commisso sibi cure Pastoralis offitio possit Deo propitio assidue prosperari, ac tibi exinde a Deo perempnis vite premium rependatur, et a nobis condigna proueniat actio gratiarum. Datum [Auinione XI Kalendas Nouembris Anno Tertio].

3324.

1337 d. 3 Nov.

Bergen.

Biskop HÅKAN i Bergen tackar Drottning Blanka för visad ynnest, beder om hennes förord hos Konungen för Bodvin af Borgias, som ännu icke fått något af sin egendom; helsar Fröken Katerina af Spina och öfriga Kammarfröknar, dem han ej vill särskildt nämna, för att icke anföra dem i orätt ordning.

Mscr. Barthol. på Univ. Bibl. i Köpenh. Tom. IV (E) p. 693. *)

Serenissime Domine sue sibi que in Christo karissime Domine Blanche Dei gracia Noruegie Suecie ac Scanie Regine jllustri, generositatis, morum, et honestatis prerogatiua decorate, HAQUINUS eadem gracia Episcopus Bergensis, suus (proutinam placeat) Capellanus, cum sui recommendacione quicquid reuerencie poterit, obsequii et honoris. Beneficencie vestre precellentis magnificencia, in immensis donariis ac curialitatibus nobis multiplicata, nos astringit, ut saltem, etsi non quantas debemus, eas tamen, quas in presenciarum valemus, prepollenti reuerencie vestre graciaram referamus actiones: bonorum omnium supplicantes largitori, ut affectum nostrum fiducialiter et sinceriter super hoc ostendat in effectu. ad ea igitur et eorum singula, que celsitudini vestre per nos grata vobis fieri poterint, nos offerimus obligatos, et in omnibus promptos et paratos, super quibus securissime nobis vestro demandetis: apud dominum nostrum regem indesinenter recommendatum nos habentes; quod in bonis omnibus, juxta virium nostrarum facultatem, volumus et debemus promereri. Bodwinus de Borgias, mercator, [quem?] cum nostrarum contubernio vobis placuit sociare, de bonis suis nondum aliquid habuit, nec habere poterit, immo, sicut rebus sic et spe frustratur, nisi noua sibi gracia a domino nostro rege procuretur: super quo, sicut vobis visum fuerit, poteritis ordinare, et precipue cum Dominus prepositus Bergensis thesaurarius vobiscum commoratur. Domicellam Katerinam de Spina libenter salutamus, cete-

*) Med BARTHOLINS egen hand utskrifvet ur det förkomna Registrum Bergense.

rasque camere vestre domicellas, quarum nomina non posuimus, ne ordine prepostero peccaremus. Statum vestrum et vestrorum, cum utriusque hominis sospitate, conseruet altissimus in incrementis continuis glorie et honoris in presenti, per gratiam et per gloriam in futuro, amen. Scriptum Bergis, *die et anno ut supra* *).

3325.

1337 d. 9 Nov.

Strengnäs.

ASCER, skomakare och borgare i Strengnäs, och hans hustru MARGARETA sälja, för 50 mark penningar, 2 öreländ och 5 penningland i Märinge på Thosterön till Domprosten Nils Magnusson.

Orig. på perg. i K. Riks-Arch.

Omnibus presentes litteras inspecturis. ASSCERUS sutor ciuis strengnensis ac MARGARETA eius vxor. salutem in domino sempiternam. Notum vobis facimus vniuersis, Nos die dominica proxima ante festum martini confessoris. Anno domini. M^o. CCC^o. XXX^o. septimo. apud ecclesiam cathedralem strengines in presencia plurium discretorum constitutos. reuerendo viro domino nicholao magnusson eiusdem ecclesie preposito. predia nostra villa mæringæ in insula thoostyr sita parochia dicte ecclesie cathedralis. videlicet duas oras terre. et quinque denarios. cum domibus et singulis ad eadem predia pertinentia ab antiquo. prope vel remote. pro quinquaginta marchis denariorum integraliter nobis solutis. et ad manum traditis. vendidisse. quitantes ac absoluentes dictum dominum prepositum de inpeticione seu vltiori solucone pecunie summe memorate. si vero quod absit heredes nostri seu alii quicumque predictum dominum prepositum calumpniant. inpediant vel perturbent aliquo ingenio vel cautela quominus predictorum prediorum possessione libere vti posset vel gaudere. extunc eidem preposito predia nostra seu alia bona. vbi libet sita obligamus. donec eorundem prediorum pacificam et quietam possessionem assequatur. Huius autem vendicionis. firmarii. vlgaliter dicti viduarumen. sunt hii. petrus dictus franz. thørgillus in monte. Testes vero dicti faste sunt hii. Hincichinus valborgis. roderus vlpho de lennum. laurencius aduocatus. petrus elsikoson. ernerus faber. laurencius de lèt. hithimundus de eldæsund. ermundus de sæby vlpho de sandum. suno de lunby. simarus de norby. et quia propriis sigillis non vtimur. petimus sigillum predictæ ciuitatis strengnensis presentibus apponi in testimonium premissorum. datum. anno et die supradictis.

Sigillet, stadens (Petrus och Paulus) på en ur brefvet klippt remsa.

*) Det nästföregående brefvet i denna afskriftsamling är dateradt: »tercio nonas Nouembris anno domini M^o. CCC^o. XXX^o. septimo.